

nice deseratur; VIII. De transactionibus in materia beneficiis; IX. De actis quæ se referunt ad statum regularium. Subjungitur tractatus cui titulus: *Le parfait procureur des officialités*. Non diffitemur quod author et auctor nimium faveant secularibus principibus in rebus ecclesiasticis, sed attentus lector quæ sunt rejicienda facile deprehendet. Cf. etiam Monacelli, *Formularium legale*.

In Galliis, juxta praxim hodiernam, episcoporum cancellarii notariorum munere, quando opus est, funguntur; sed isti officiales, ad nutum amovibiles, in quibusdam causis non omnem subditorum fidem sibi conciliare possunt. Revera, quando temporibus nostris synodi tum provinciales tum diæcesanæ celebratae fuerunt, notarios pro tempore sessionis episcopi creaverunt, quod et accidit in causis beatificationis et canonizationis servorum Dei. Nihil obstat quominus duo vel tres notarii pro quavis diœcesi permanentiter instituantur.

ADNOTATIO IX.

Lib. II. Decretalium, Tit. XXIII. De Præsumptionibus, § II, n. 55, pag. 145.

DE PRÆSUMENDO IMPEDIMENTO IN RE MATRIMONIALI.

« Ex textu cap. 13. *Tertio loco*, huj. tit. colligitur quod licet alias nec fama, seu rumor viciniæ, nec propria conjugum confessio de interveniente impedimento affinitatis, contractæ per copulam fornicariam cum consanguinea uxoris ante initum matrimonium, sufficiat ad divortium, seu separationem conjugum quoad vinculum matrimonii, juxta cap. 5, *Super eo*. — *De eo qui cognovit consanguine uxoris*; si tamen plura talia adminicula concurrant, quæ simul sumpta præsumptionem violentam faciant, tunc ea sufficiunt ad plenam probationem faciendam, ut in casu hujus decretalis, ubi erant per testes probata, saltem remote, fornicationis indicia cum consanguinea uxoris, seu sponsæ de præsentibus, quod nimirum vir et neptis sponsæ visi sint per plana et nemora, vias et invia sæpius simul vagari, deinde fama publica et testimonium viciniæ super eodem ac denique accessit etiam confessio, juramento firmata, tam viri, alioquin propendentis ad sponsam ductam retinendam, tum ipsius mulieris per dictum virum carnaliter cognita. Hæc enim licet singula seorsim non sufficiant ad plenam probationem, simul tamen juncta sufficienter informant animum judicis ad judicandum subesse impedimentum dirimens affinitatis, et pronuntiandum matrimonium seu sponsalia de præsentibus, inter tales inita, esse irrita, quia quæ non prosunt singula collecta juvant, ut habet Glossa hic, §. *Dicta sunt*. Farinacius in *Prax. crimin.* part. V, quæst. 136, nn. 8, 151 et 152, ubi ait quod, in casu hujus decretalis, præter confessionem juratam viri et mulieris quod invicem se carnaliter cognoverint, concurrant etiam vagatio per nemora et loca solitaria, testimonium pariter

ex publica fama viciniæ, quasi alias Pontifex, his non concurrentibus, non permisisset dictos conjuges ab invicem separari.

» Omnes doctores scribentes circa hunc textum, inter quos Abbas, Piringh, Layman, Wagnerek, Allagona, Barbosa et Glossa hic interpretantur illum intelligendum esse non de separatione quoad thorum, sed quoad vinculum.

» Neque ex eo quod Pontifex usus sit verbo *consultius est* argui potest quod dubium habuerit de affinitate contracta, quia iste est terminus obvius et communis quo utuntur Pontifices in decretalibus, licet definitive resolvant sive præcipiendo, sive prohibendo, sive declarando. Accedit quod si dubium habuisset de contracta affinitate non præcepisset dissolutionem matrimonii, cum in dubio pronuntiandum sit pro eo, non contra, juxta decretalem Innocentii III in cap. *Licet. De testibus et attestationibus*, ibi: « Tolerabilis est enim alii quos contra statuta hominum dimittere copulatos » quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I. sect. 270.)

ADNOTATIO X.

Lib. II. Tit. XXIII, § III, n. 70, pag. 149.

DE TORTURA, PURGATIONE CANONICA ET VULGARI.

Sic loquitur auctor noster: « Remanet proinde quod si solæ vehementes conjecturæ seu præsumptiones urgeant, in causis criminalibus criminaliter motis, reus non sit condemnandus; sed, vel is ad extorquendam confessionem subjiciatur torturæ, spectato præsertim jure civili; vel ipsi indicatur purgatio canonica, juxta sacros canones tot. tit. *De purgatione canonica*. » Nota verba hæc: *spectato præsertim jure civili*, quia nullibi, in jure canonico, tortura tanquam medium confessionis obtinendæ præcipitur, aut etiam consulitur. E contra, apud Gratianum II, caus. II, quæst. 5, cap. *Consuluisti* sic docet Stephanus PP. V: « Consuluisti de infantibus, qui in uno lecto dormientes cum parentibus mortui reperiuntur, utrum ferro candente aut aqua fervente, seu alio quolibet examine, parentes se purificare debeant eos non oppressisse. Monendi sunt namque et protestandi parentes ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur. Nam ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri non censent canones; et quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontanea enim confessio vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro judicare. Occulta vero et incognita illi sunt relinquenda qui solus novit corda filiorum hominum. Hi autem, qui probantur vel confitentur

talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio, quia, si ille qui conceptum in utero per abortum deleverit homicida est, quanto magis qui unius saltem diei puerulum peremerit homicidam se esse excusare nequibit? »

Accedit cap. *Si quandoque* caus. XV, quæst. 6, ibi: « Si quandoque a sacerdotibus et auctoribus Ecclesiæ quædam scripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possint, quocumque ab eis conscriptæ aut roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium vel nocumentum valere censemus... Confessio vero in talibus non compulsæ sed spontanea fieri debet. »

Attamen canonistæ veteres non omnino torturam reprobabant, spectato præsertim jure civili, ut loquitur Reiffenstuel, ex dictis in Proemio hujusce *Jur. canon. universi*, § XIII, de *Confederatione juris civilis cum canonico*, vol. I, pag. 53, ubi hæc leguntur: « Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sanctorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur, cap. 1, *De novi operis nuntial*. Ubi Glossa §. *Adjuvantur* notabiliter infert: Et ita in causa ecclesiastica leges possumus allegare ut, etiamsi canones deficiant, possit judicari secundum leges. » Sufficiuntne rationes illæ ad legitimandum torturæ usum in tribunalibus ecclesiasticis? Non nobis liquet. Cf. G. d'Espinau, *De l'Influence du droit canonique sur la législation française*, Tolosæ, 1836, Bonnal et Gilbac, pag. 120 et 229. Auctor allegat librum VII Decretalium qui, ut omnes sciunt, non fuit publicatus, nec inter fontes juris canonici recenseri debet.

Quoad purgationem canonicam, hæc scribit Giraldus: « Cum autem ab infamato seu suspecto de crimine præstandum erat juramentum se illud non commisisse, ut statuitur cap. 1, 4 et 16 *De Purgatione canonica*, si forte in aliquibus curiis adhuc mos vigeat hanc purgationem indicendi, ita iudices monitos vult Van Espæ part. III, tit. VIII, cap. iv, n. 38: « Quia et iudices merito in indicenda hæc purgatione circumspici esse debent, ne eam facilius indicendo sacrilegii et perjurii participes efficiantur; etenim cum homines, qui magnum criminum sunt rei, ausi fuerint propter utilitatem aut voluptatem quas in criminibus quæsierunt, graviter eos impingere in legem æternam ejusmodi crimina prohibentem magnopere timendum est ne, ut supplicium et infamiam quæ ob crimina commissa imminere evadant, pejerare audeant. Facile est hinc videre quam sæpe sacrilegium sit ab ejusmodi criminosis expetere ut juramento se purgent, cum, si non certum sit, saltem admodum verisimile quod pejerabunt, si crimina revera commiserint: temerarium proinde est credere quod tale crimen non commiserint, quia jurant se non commisisse. » (*Exposit. juris pontif.* part. I, sect. 894.) Insuper idem Giraldus passim docet purgationem canonicam omnino nunc obsolevisse.

Tandem purgatio dicta vulgaris absolute jure canonico interdicitur. Sic enim se habet rubrica tituli XXXV, lib. V Decretalium, *De Purgatione vulgari*: « Duella et aliæ purgationes vulgares prohibita sunt quia per eas multoties condemnatur absolvendus, et Deus tentari videtur. »

ADNOTATIO XI.

Lib. II. Tit. XXIII, § IV, n. 98, pag. 154.

DE PRÆSUMPTIONE ORTA EX VITA HACTENUS HONESTA.

« Hæc præsumptio, inquit Giraldus, est verisimilis dumtaxat et aliquando fallit, ut fefellit in ipso Salomone, cujus cor, cum jam senuisset, per mulieres depravatam fuisse refertur III Reg. cap. xi, v. 4, adeo ut contra ipsum locum habere possit illud adagium: « Angelicus juvenis senibus sathanizatur in annis. » Ideoque neque Innocentius in cap. 15, *Cum in juventute*, hoc eod. titulo, hujusmodi præsumptioni acquievit: voluit siquidem inquisitionem occultam fieri per dictos episcopum et abbatem, non quidem super veritate, sed super credulitate et infamia quæ, licet a malevolis orta, si tamen tanta est ut bonis et gravibus viris scandalum ingerat, præstat sufficiens fundamentum ad iudicium exquirendum, etiam super veritate criminis objecti. » (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 268.)

ADNOTATIO XII.

Lib. II. Decretal. Tit. XXIV, De jurejurando, § II, n. 67, pag. 167.

DE SENSU JURAMENTI IN QUIBUSDAM CAPITULIS PRÆSTITI PRO STATUTORUM OBSERVATIONE.

Quintæ conditiones, quæ tacite subintelliguntur in omni juramento promissorio, quamvis absolute facta, sunt notandæ scilicet: I. Si potero licite; II. Salvo jure, et auctoritate superioris; III. Si non is sponte remiserit in cujus favorem juratum est; IV. Si res in eodem statu permanserint; V. Si et altera pars fidem servaverit. Meminerint horum conditionum præsertim canonici qui præstiterunt juramentum de servandis statutis quæ non fuerunt ad tramites juris concinnata, Cf. ea de re D. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France*, Parisiis, 1864, Lecoffre, capit. xv, XLIV et LII; et *Mémoire pour le chapitre cathédral de Nice*, Parisiis, 1865, Lecoffre.

ADNOTATIO XIII.

Lib. II. Tit. XXIV, § III, n. 84, pag. 170.

STATUTA ILLICITA, DAMNOSA, VEL LIBERTATI ECCLESIASTICÆ CONTRARIA, NUL' ATENUS SERVANDA, QUAMVIS JURATA. QUÆDAM DE JURAMENTIS PRINCIPIBUS SÆCULARIBUS PRÆSTITIS.

Cum doctrina nostri auctoris apprime congruat quæ a D. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en*

France, et *Mémoire pour le chapitre cathédral de Nice*, locis in Adnotatione præcedenti citatis, docentur et pro praxi inculcantur.

« Contingit, inquit Nicolaus III, cap. *Contingit*, in 6., hoc eodem titulo, in nonnullis ecclesiis de earum consuetudine observari quod nec ipsarum prælati, cum primo ad ecclesias ipsas accedunt, admittuntur, nec canonici, cum de recipiendis ibidem novis canonicis agitur, aliter recipiantur in ipsis nisi jurent statuta et consuetudines ipsarum ecclesiarum scripta et non scripta inviolabiliter observare. Inter laicos etiam in multis civitatibus castris et terris, in suis potestatibus, rectoribus vel officialibus assumendis, consuetudinis morbus irrepit quod potestates, rectores et officiales hujusmodi ad potestarias, rectorias et officia eadem, nisi prius servaturos se statuta ipsorum locorum clausa juraverint, nullatenus admittantur. Quia vero in statutis et consuetudinibus supra dictis interdum aliqua reperuntur illicita seu impossibilia vel obviantia ecclesiasticæ libertati, ne sub tali generalitate jurandi sic jurantibus peccandi occasio præbeatur, cum juramentum non fuerit ut esset iniquitatis vinculum institutum, hac generali constitutione animarum periculis obsistere cupientes, præcipimus a quibuscumque scientibus contineri in prædictis consuetudinibus et statutis illicita, impossibilia, vel libertati ecclesiasticæ obviantia, juramenta hujusmodi aliquatenus non præstari; et talia juramenta ea intentione faciendâ vel facta ut etiam illicita vel impossibilia seu ecclesiasticæ libertati obviantia observentur, cum etiam sub tali intentione præstari non possunt absque divinæ majestatis offensa, decernimus in hujusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati ecclesiasticæ obviantibus, non servanda; quin potius, pro animarum salute, si sub forma prædicta vel simili aliquos ignorantes prædicta illicita, seu impossibilia, vel libertati ecclesiasticæ obviantia jurare contigerit, ad observanda dumtaxat licita, possibilia et non obviantia libertati ecclesiasticæ jurantium referri debet intentio. Declaramus quoque juramenta sub hujusmodi generalitate, qualitercumque et sub qualicumque verborum forma præstita vel præstanda ad licita, possibilia, libertati ecclesiasticæ non obviantia tantum extendi, ipsosque jurantes ad alia per præstationem hujusmodi non teneri. »

Hæc Nicolai decretalis expresse confirmata est et etiam extensa a Gregorio XIII constit. *Inter Apostolicas*, 3 sept. 1584, ad jurantes et jurare facientes adversantia decretis concilii Tridentini, cum additione pœnarum tam in exigentes quam in præstantes talia juramenta, ibi :

« Nos, præsentium auctoritate, innovamus prædictam constitutionem Nicolai Papæ, ibidemque alias omnes canonicas sanctiones de abusu et reprobatione hujusmodi juramentorum promulgatas, volumusque eas ubique ab omnibus, etiam quoad præterita, inviolabiliter observari. Ac etiam præcipimus et interdicens prælati, canonicis et aliis

supra dictis, nec non Ecclesiarum capitulis et monasteriorum, cæterisque conventibus, civitatum quoque, castrorum et terrarum communitatibus, et personis quacumque dignitate præditis, ne ulla omnino juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati ecclesiasticæ aut decretis concilii Tridentini obviantia, sive ante sive post electiones, confirmationes, provisiones, receptiones, admissiones aut alios actus, ubicumque ac quocumque tempore, etiam prætextu cujusvis consuetudinis quantocumque tempore observatæ, quæ potius corruptela est censenda, sive in genere sive in specie præstare, reddere vel exigere, neque super præstitis, redditis vel exactis hucusque quemquam in judicio vel extra inquietare audeant quoquo modo vel turbare. Illos enim qui juramenta illicita, impossibilia, damnosa vel ecclesiasticæ libertati aut decretis dicti concilii obviantia exigere contenderint, episcopos videlicet et alios quacumque pontificali dignitate præditos suspendimus a divinis; capitula vero et conventus eorumque Ecclesias et loca omnia interdicto ecclesiastico supponimus ac singulares personas excommunicationis sententia innodamus, inhabilesque facimus ad obtenta et alia obtinenda eo ipso; nobisque et Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis et interdicti, necnon absolutionem ab excommunicationis sententia hujusmodi perpetuo reservamus : decernentes eos, qui talia juramenta scienter præstiterint usu et commodo rei et gratiæ cujus causa juraverint, eo ipso privatos esse, alios vero ignorantes ad præstitorum juramentorum hujusmodi observationem minime teneri, necnon irritum et inane quidquid secus per quoscumque scienter vel ignoranter attentatum est hætenus et deinceps contigerit attentari. »

Insuper notabis cum Giraldo, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 274, quod I, observari facientes vel observantes statuta et consuetudines contra libertatem Ecclesiarum, præter excommunicationem latam in jure communi, et speciatim in cap. *Noverit, De sententia excommunicationis*, incurrere etiam latam a bulla Cæne, § XV; et II, licitum esse ecclesiasticis præstare juramentum fidelitatis laico principi illud exigenti, non absolute coactum, sed sub conditione voluntarium si in tali territorio morari velint, propter securitatem status; sed tale juramentum illi non præstandum est tanquam superiori, sed tanquam co-parti reipublicæ per modum contractus; Thesaurus, *de Pœnis ecclesiast.* cap. 1, verb. *Juramentum*, in quo vide reliqua circa hujusmodi et similia juramenta, quæ laico principi ab ecclesiasticis præstari possint vel non. »

In concilio Lateranensi IV prohibitum fuit ne laici viros ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis juramenta compellant, cap. *Nimis*, hoc eod. titulo. Ideo quando princeps exigere velit juramentum hujusmodi, clerici non possunt illud præstare sine in-

dulto Romani Pontificis. Sit in exemplum indultum Pii PP. VII Carolo-Felici, regi Sardinie, anno 1822 concessum. Hic advertere juvat quod pensiones quibus, loco honorum ecclesiasticorum a gubernis invasorum, annuatim in quibusdam regionibus clerici gaudent, minime constituunt illud temporale propter quod principes juramentum fidelitatis obtinere possent.

ADNOTATIO XIV.

Lib. II. Tit. XXIV, § III, n. 94, pag. 173.

DE ALIENATIONE REI DOTALIS JURAMENTO FIRMATA.

« Decretali *Cum contingat*, hoc eod. titulo, per quam abrogata est lex VII, § 16, ff. *de Pactis et L. Non dubium, C. de leg. decernentes* mulierem non teneri servare juramentum de non veniendo contra alienationem rei dotalis, accessit ampliatio facta a Bonifacio VIII, in cap. 2, *Licet mulieres*, hoc eod. titulo, in 6. statuente insuper ut iudices sæculares in hujusmodi causis omnino teneantur servare dispositionem juris canonici et non civilis, et ad id etiam compellantur a locorum ordinariis, sub pœna excommunicationis. (Giraldo, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 273). »

ADNOTATIO XV.

Lib. II. Tit. XXIV, § III, n. 101, pag. 174.

DE JURAMENTO VI AUT GRAVI METU EXTORTO.

« Cum in decretali *Verum*, cap. 15, hoc eod. titulo, declarat Celestinus non esse puniendos tanquam pro mortali crimine non servantes juramentum metu præstitum pro vita et rebus conservandis, eandem declarationem sibi objecit S. Thomas, 2.2. quæst. 98, art. 3, ad 1, pro firmanda contraria theologorum sententia communiter recepta, simulque explicat in quo sensu hujusmodi declaratio accipienda sit, ibi : « Per metum et coactionem non auferri juramento promissorio vim obligandi respectu ejus quod licite fieri potest, et ideo, si alius quis non impleat quod coactus juravit, nihilominus perjurium incurrit et peccat. Potest tamen per auctoritatem summi Pontificis imo et episcopi, aut alterius potestatem delegatam habentis, ab obligatione juramenti, præsertim si coactus fuerit tali metu qui cadere posset in virum constantem, jurans absolvi; quod autem dicitur tales non esse puniendos tanquam pro mortali crimine, non ideo dicitur quasi non peccent mortaliter in foro conscientiæ, » sed quia in foro externo minor eis pœna infligitur propter circumstantiam metus, quo facile percellitur humana fragilitas.

« Si autem ageretur de præstanda re juramento promissa, quæ esset materia levis, juxta fere omnes theologos etiam dignioris notæ, sive hæc sit tota materia sive pars promissionis, juramentum,

sive sponte sive coacte emissum, in executione admittit parvitatem materiæ, ac proinde inferunt transgressorem non esse reum peccati lethalis. Quod tamen admittendum non esse existimarem, si esset tota materia, cum in omissione illius redderetur Deus testis falsitatis juxta sententiam S. Thomæ qui, quæst. 89, art. 7, ait : « tenetur (jurans) ut faciat verum esse id quod juravit, alioquin deest veritas juramenti. » Si autem materia sit dividua et jurans in actu juramenti habuerit intentionem eam totam præstandi, certum est apud omnes tale juramentum admittit parvitatem materiæ in executione, et sic transgressorem venialiter peccare, si pars non præstita sit levis. De hac quæstione vide allata à Paulo Gabriele Antoine tract. *De virtute religionis*, cap. IV, de juramento, quæst. 5. (Giraldo, *Exposit. jur. Pontif.* part. I, sect. 272.)

ADNOTATIO XVI.

Lib. II. Tit. XXIV, § VII, n. 217, pag. 196.

DE JURAMENTO SUPPLETORIO.

Auctor *Exposit. jur. Pontif.*, part. I, sect. 275, sic loquitur : « Casus decretalis *Ex litteris vestris*, hoc titulo, est circa contractum de quo, cum dubium esset an veram usuram involveret, justus Pontifex ut compellerentur partes, etiam per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, ad præstandum juramentum de veritate dicenda. Hæc sanctioni tacite derogatum esse videtur a Gregorio IX qui, in sua decretali, ex integro desumpta ab edicto prætoris et ejus interpretatione per præcedentes facta, relata in cap. 36 *Juramentum*, hoc eod. titulo, quotiescumque reus conventus est de actione famosa, declaravit non licere juramentum illi referre, ibi : « Juramentum a te parti deatum nisi justa de causa non potuit recusari. Quamvis quod in judicio a parte parti defertur recusari possit licite ac referri. Nec liceat convento famosa actione referre hujusmodi juramentum. »

« Hujus Gregorianæ decretalis fundamento (licet spectet ad juramentum litis decisorium) nisus Van Espen, part. III, tit. VII, de instruct. causar. civil. cap. VIII de juramento suppletorio ob defectum probationum, n. 19 et 20, sustinet hoc juramentum nunquam esse deferendum in causis criminaliter motis, aut etiam in civilibus ex actione famosa, qualis esset causa usurarum ut in supra transcripto cap. *Ex litteris vestris*, ibi : « Sed et passim pragmaticæ tradunt hoc juramentum ob perjuri periculum magna cum moderatione et circumspectione esse deferendum. Atque in primis juramentum hoc in vicem probationis non esse deferendum, cum criminaliter agitur, imo vel civiliter ex actione famosa qua reus damnatus redderetur infamis, tradunt communiter Doctores ad cap. fin. 36, *De jurejurando*, ubi dicit Pontifex : *Nec liceat convento famosa actione re-*

» *ferre hujusmodi juramentum.* Rationem illius al-
» legit Damhouder in *Praxi rer. civil.* cap. CLXXIX,
» n. 9, ne videlicet reo detur occasio pejerandi
» ut scilicet infamiam evadat; sicuti ob periculum
» perjuri juramentum hoc deferendum non est in
» causa criminali aut famosa, ita nec in causa civili,
» ardua et notabili, quemadmodum post Glossam
» ad L. xxxi, ff. *De Jurejurando* notant Doctores.
» Nemo etiam non videt periculum esse pejerandi
» ubi de re ardua et notabili, perdenda aut lucran-
» da, agitur.»

« Quidquid autem sit de juramento suppletorio
in causis partium colligantium, certum est in
locis quos complectitur concilium Romanum cele-
bratum, anno 1723, sub Benedicto XIII, prohibitum
esse iudicibus, sub pœna nullitatis, et omnium ac-
torum, illud exigere a reo principali criminaliter
examinato, ut ex sequenti decreto, relato cap. II,
tit. XIII ejusdem concilii, ibi :

» Stylum itaque in quibusdam curiis sæcularibus
» et ecclesiasticis, nullo unquam jure præceptum,
» inolevisse perpendimus ut iudices, sive eorum
» notarii aut scribæ, reos criminali facinore accu-
» satos examinaturi, juramentum ab his præstari
» jubeant de veritate dicenda. Quia tamen ex hoc,
» quotidiana sicuti est experientia compertum, nec
» in fisci favorem, nec contra reos ipsos, qui ut
» plurimum patrata a se negant delicta, utilitatis
» aliquid elici non ignoratur, adeo ut, peculiari in
» hac facti contingentia, nedum talia deinceps jura-
» menta exigendi necessitas adesse probetur, imo
» potius ne illa penitus exigantur, sacri ipsa jura-
» menti ratio postulet ac suadeat. Hinc est quod
» nos, rationibus utrinque perpensis, et quampluri-
» mum inherentes insignium tribunalium praxi,
» juramentum ipsum per reos sic criminaliter in-
» quisitos præstandum, consulto, dum uti princi-
» pales tantummodo constituuntur, tollendum et
» submovendum ducimus, prout, sacro etiam ap-
» probante concilio, præsentis hac constitutione om-
» nino tollimus ac submovemus; nec juramentum
» hujusmodi ullatenus ab eisdem, nisi tamen ut
» testes quoad alios examinentur, in futurum per
» quoscumque iudices et ministros, sub quovis
» prætextu, causa et quesito colore, volumus exi-
» gatur; alias examen, sic constitutum, et acta
» omnia nulli sint eo ipso et irrita, omnique ca-
» reant contra reos effectum.»

« Licet in nonnullis locis, quos non complectitur
cit. Concilium Romanum, vigeat adhuc consuetudo
exigendi a reo, criminaliter inquisito, dictum jura-
mentum, expediret quidem illam ubique aboleri
ob validissimas rationes experientia comprobata
in laudati concilii textu allatas; quemadmodum,
die 6 julii 1693, propositum etiam fuit Sacræ Cong-
reg. Concilii, in discussio dubio an expediret
illam a summo Pontifice abrogari, rescriptum fuit
ut scriberent pro veritate theologi et canonistæ.
Nulla tamen decisio emanata reperitur ob discor-
des fortasse dictorum theologorum et canonistarum

sententias. Si legas Ludovicum de Ameno, *Practica
crimin.* part I, tit. XIX, § IV, verbo *Reus*, n. 16,
iisdem rationibus, quibus innixum est concilium
Romanum, dictam consuetudinem abolendam os-
tendit, pari modo quo laudatus Van Espen et doc-
tores ab eo citati. Si vero legas Ursayam, *Instit.
crimin.*, lib. III, tit. II de crimine perjuri, a n.
16 ad 27, mordicus contrarium sustinet, innixus
potissimum supra relate Honorii decretali, *Ex lit-
teris vestris*; qui tamen scripsit annos quatuordecim
ante dictum concilium Romanum: non enim
forsan ita sensisset, si scripsisset post, cum fuerit
unus ex decretalisticis ejusdem concilii.»

Cf. auctorem nostrum, lib. II. *Decret. Tit. XVIII
De confessis*, § VII, n. 164; tom. II, hujusce edit.
pag. 497.

ADNOTATIO XVII.

*Lib. II. Decretalium. Tit. XXVI. De præscriptioni-
bus. § II, n. 34, pag. 250.*

AN PRÆLATI INFERIORES PRÆSCRIBERE POSSINT JURA
EPISCOPALIA?

« Per decretalem *Cum olim*, hoc titulo, Innocen-
tius III declarat abbatem regularem in Ecclesiis
sæcularibus intra diœcesim situs præscribere posse
jura episcopalia, et inter cœtera: I. Ordinationem
clericorum; II, Pœnitentiam, id est, jus absolvendi
etiam a casibus episcopo reservatis, prout ex sensu
contrario ex hac decretali inferri potest, si abbas
id præscripsisset.

» Verum quoad ordinationem clericorum abro-
gata est a concilio Tridentino sess. XXIII, cap. x,
de Reform... Quoad pœnitentiam vero, id est, abso-
lutionem a casibus episcopo reservatis, proceden-
dum est cum distinctione, ut optime hic Fagnanus
a n. 22 ad 24. Aut abbas, aut alius inferior præ-
latus ex privilegio apostolico, vel legitima præscri-
ptione, habet omnimodam jurisdictionem quasi
episcopalem in certa parte diœcesis, excluso episco-
po, ita ut sit vere in statu *nullius diœcesis*: tum cer-
tum est absque præscriptione posse sibi casus re-
servare et absolvere, quin ei obstet decretum Tri-
dentinum, s. ss. XIV, cap. vii. *de casibus reservatis*,
quia hoc loquitur de casibus quos sibi reservat
episcopus. Aut ex privilegio vel præscriptione non
est in statu *nullius*, sed est simpliciter exemptus,
et tum non valet præscriptio absolvendi a graviori-
bus casibus episcopo reservatis, a quo dumtaxat
pœnitentes absolvi possunt juxta cit. Tridentinum
decretum, cum quoad hoc semper dictus abbas sit
exemptus remaneat subjectus episcopo diœcesano...

» In decretali *Veniens*, hoc titulo, statuitur præ-
scribi posse a prælato inferiore, ut dimittendi suos
subditos ad quemcumque velent catholicum an-
fistitem pro ordinibus recipendis; cui hodie dero-
gatum est, quoad non habetis privilegium apos-
tolicum nominatum, directè ac expresse ipsis con-
cessum, conformiter ad constitutionem Benedicti

ADNOTATIO XVIII.

Lib. II. Tit. XXVI. § III, n. 62, pag. 233.

DE BONA FIDE AD PRÆSCRIBENDUM REQUISITA.

« Ex iuribus hoc titulo insertis colligitur :

» I. Bonam fidem requiritur tam in initio quam in
decursu præscriptionis, ita ut mala fides superven-
iens interrumpat præscriptionem in foro tam ca-
nonico quam civili, cum in materia peccatum res-
piciente jus canonicum sequi debeamus.

» II. Per hos textus derogatum esse juri civili
disponenti quod in præscriptione longi temporis,
decem scilicet annorum inter præsentis, et viginti
inter absentes, bona fides solum requiratur ab ini-
tium, uti habetur in § *Diutina* XII, *Instit. De usucap.*
et in L. unica *Cod. De usucap. transferendis*, et
quod in præscriptione longissimi temporis, triginta
scilicet vel quadraginta annorum, nulla requiri-
tur bona fides, neque ab initio, neque in decursu,
L. *Sicut*, l. *Omnes*, et L. *Cum novissimi*, *Cod. De
præscript. 30 vel 40 annorum.*

III. Minime attendendum esse cap. 15 *Placuit*,
caus. XVI, quæst. 3. §. *Præscriptionem*, ubi dicitur:
« Bona fides non ad tractum medii temporis,
» sed ad initium possessionis refertur. » Verba
enim hujus textus non sunt concilii Africani, cui
tribuitur, sed Gratiani qui juxta leges civiles locu-
tus est; cum autem fuerit auctor privatus, in hac
materia a Pontificibus definita, non est audiendus.
(Giraldus, *Expos. jur. Pontif.*, part. I, sect. 280.) »

ADNOTATIO XIX.

*Lib. II. Decretalium. Tit. XXVII. De sententia et re
judicata. § II, n. 69, pag. 275.*

DE JUDICE CONTRA JUSTITIAM AGENTE.

« In Decretali *Cum æterni*, hoc titulo in 6. sta-
tuitur ut, si iudex ecclesiasticus tam ordinarius
quam delegatus, contra conscientiam et contra jus-
titiam in gravamen partis alterius, in iudicio quid-
quam fecerit per gratiam vel sordes, ab executione
officii per annum suspensus sit, et ad æstima-
tionem litis parti quam læserit condemnandus
Quod si suspensione durante, damnabiliter inge-
serit se divinis, irregularitatis laqueo se involvet, a
quo non nisi per summum Pontificem poterit liberari,
salvis aliis constitutionibus quæ judicantibus
pœnas infligunt.

» Huc spectant ex contrario sensu propositiones
proscriptæ ab Alexandro VII, sub die 24 sept. 1663
et ab Innocentio XI, sub die 2 martii 1679. Pro-
scripta ab Alexandro VII, quæ est XXVI in ordine
« Quando litigantes habent pro se opiniones æque
» probabiles, potest iudex pecuniam accipere re-
» ferenda sententia in favorem unius præ alic
Proscripta ab Innocentio XI, quæ est propositio I
in ordine: « Probabiliter existimo iudicem posse
» dicare juxta opinionem etiam minus probabilem. »

XIV, *Impositi nobis*, 27 febr. 1747, cui nunc stan-
dum est, in qua præsigitur statuaturque modus
servandus, etiam in casu quo episcopus proprius
vel abest, vel non habet ordinationem, ad hoc ut
tam ordinatus quam ordinatus evitet censuras.

» In decretali, *Cum inter*, hoc titulo, Pontifex
admittit abbati... initiare posse prima tonsura,
nedum monachos sibi subditos sed etiam sæculares,
in quos habet ordinationem e' quasi episcopalem ju-
risdictionem... Prout respicit monachos sibi sub-
ditos, adhuc vigeat hæc decretalis... ac definitum
fuit ab ipsomet Tridentino concilio, teste S. Carolo
in concil. Mediolan. V, part III, de sacram. ordinis;
atque pluries etiam declaravit Congregatio Concilii
signanter die 12 febr. 1724, in *Vratislaviensi*; *Re-
solut. ejusd. Congreg.* pag. 19. An vero vigeat,
prout respicit subditos sæculares communior sen-
tentia est cum Fagnano in cap. *Quanto*, *De consue-
tud.* n. 24, et latius in cap. *Statuimus*, *De supplenda
neglig. prælatorum*; Petra in commentar. ad consti-
tit. IX Pii II, n. 38 et seqq. Ferrosinus in cap.
Cum contingat, *De ætate et qualit. præficiend.*
quæst. II, n. 19 et seqq. qui sentiunt adhuc vigere
quoad aliquid, solamque ipsius executionem fuisse
a Concilio suspensam quodammodo per ablationem
jurisdictionis in ipsos subditos, adeo ut, si eos ordi-
net, illicita quidem sed valida sit eorum ordina-
tio, ut ex pluribus Congregat. Concilii declaratio-
nibus evidenter ostendunt. Ratio ipsorum est quia
abbati presbytero, etiam solemniter benedicto,
Concilium Tridentinum sustulit quidem totaliter
hoc jus, quando nullos habet subditos regulares
non vero quando hos habet. In hoc namque casu
Concilium in ipso reliquit potestatem ut, ordinando
suos subditos regulares, imprimat in eis caracte-
rem simulque eis conferat liberam executionem
seu exercitium ordini suscepti; contra, alios ordi-
nando, imprimat quidem in eis characterem ratione
potestatis, sed non conferat ordinis executionem, ob
ademptam jurisdictionem in sibi non subditos regu-
lares, ut ex declarationibus Congregat. ejusdem
Concilii, quas afferunt per extensum. Et sic ordi-
natio subditi sæcularis ab abbate facta in casu, ita
se habet ut ordinatio non subditi, scienter et pro-
hibita facta ab episcopo, quæ valida est sed illicita.
Vide Fagnanum ac Petram loc. cit. ubi sic concor-
dant varia prædictæ Congreg. decreta, quæ inter
se videntur contraria. (Giraldus, *Expos. jur. Pon-
tif.*, part. I, sect. 285, 286 et 290.)

Decretum autem Concilii Tridentini, sess. XXIII,
de Reform. cap. x, sic se habet: « Abbatibus, et
aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non
liceat in posterum, intra fines alicujus diœcesis
consistentibus, etiam si nullius diœcesis, vel
exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis sub-
ditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines
conferre. » Vide uberrimas explanationes apud
Benedict. XIV. *De Syn. Diœc.* lib. II, cap. XI.